

periculum homicidii; sicut cum aliqua est occulte corrupta. Ergo videtur quod saltem in tali casu virginali velum aliis quam virginibus dari debeat.

Sed contra. In officio Ecclesie non decet esse aliquam falsitatem. Sed in toto officio quo velantur virgines, fit mentio de carnis integritate, ut patet diligenter inspicenti. Ergo non debet velum virginali corruptis dari.

Præterea. Per velationem mulier quodammodo Christo desponsatur, qui est dignior quam pontifex aliquis veteris legis. Sed in veteri lege pontifici non licebat aliquam nisi virginem desponsare. Ergo non debet aliqua nisi virgo velari.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod ea quæ corporaliter in Ecclesia aguntur, signa sunt spiritualium. Sed quia corporale signum non sufficienter representare potest spirituale signatum, oportet quandoque quod ad eandem rem spirituales signandas plura signa corporalia aptentur. Matrimonium ergo spirituale Christi & Ecclesie habet & fecunditatem, per quam regeneratur in filios Dei, & incorruptionem, quia Christus elegit sibi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, ut dicitur Ephes. v. unde dicitur (II. Corinth. xi. 1.) *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Sed corporalis fecunditas integritatem carnis non patitur: & ideo oportuit diversis signis representari spirituale conjugium Christi & Ecclesie quantum ad fecunditatem, & quantum ad integritatem. Sicut ergo per matrimonium carnale representatur matrimonium spirituale quantum ad fecunditatem, ita oportuit aliquid esse quod representaret prædictum spirituale matrimonium quantum ad ejus integritatem; & hoc fit in velatione virginum, sicut per omnia quæ ibi proferuntur, & geruntur, ostenditur: & propter hoc solus Episcopus, cui cura Ecclesie committitur, virgines desponsat, velando non sibi, sed Christo, quasi sponsi paranympus, & amicus. Et quia integritatis significatio plene potest esse in continentia virginalis, sed incontinentia vidua est semiplena, propter hoc etiam viduis datur aliquod velum, non quidem cum illa solemnitate qua virginibus datur.

Ad primum ergo dicendum, quod Ecclesia in matrimonio spirituali se habet ut sponsa, Christus autem ut sponsus: per votum autem continentie anima Christo desponsatur: unde non competit ut hæc desponsatio significetur in viro, sed in muliere tantum.

Ad secundum dicendum, quod in consecratione virginum, sicut & in unctione Regum: & in aliis huiusmodi benedictionibus gratia datur, nisi sit impedimentum ex parte suscipientis; sed tamen huiusmodi sacramenta non dicuntur, quia non sunt instituta ad curationem morbi peccati, sicut alia sacramenta.

Ad tertium dicendum, quod in ordinis susceptione non consecratur aliquis in sponsum, sed in ministrum sponsi: unde non requiritur virginitas ad significandam integritatem spiritualis matrimonii, sicut requiritur in velatione ejus quæ consecratur in sponsum.

Ad quartum dicendum, quod illæ quæ per violentiam corrumpuntur, si nullo modo consentiant, virginitatis gloriam quoad Deum non perdunt. Sed

(1) Vulgata: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel.

quia valde est difficile quod in tali defectatione aliquis placentie motus non insurgat, ideo Ecclesia quæ de interioribus judicare non potest, cum exterius corrupta sit, eam inter virginines non velat: unde Leo Papa dicit, epist. lxxxviii. cap. v. *Illæ famulæ Dei quæ integritatem pudoris oppressione barbaricâ perdidit, laudabiliores erunt in humilitate & verecundia, si se incontaminatis non audeant copulare virginibus*.

Ad quintum dicendum, quod nullo modo illæ quæ sunt corruptæ occulte sive à viris, sive alio modo, sunt velandæ: quia propter vitandum scandalum non debent Ecclesie sacramenta, vel sacramentalia variari. Sed, sicut quidam dicunt, potest aliqua cautela adhiberi ad vitandum scandalum, ut scilicet illa quæ non sunt de substantia virginalis veli (ut accensio candelarum, & alia huiusmodi) fiant, mutatis occulte his quæ sunt de substantia in tantia virginalis veli, puta ut quod nomen virginitatem varietur.

QUESTIO II.

Deinde queritur de scandalo: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo. Quid sit.

Secundo. Utrum sit peccatum.

Tertio. Quibus competat.

Quarto. Quæ sunt dimittenda propter scandalum.

ARTICULUS I.

Utrum convenienter assignetur definitio scandali.

2. 2. quest. xlvi. art. 1.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter assignetur definitio scandali, quæ sumitur ex Glosa (interlineali) Matth. xviii. super illud: *Vae mundo à scandalis*, scilicet: *Scandalum est dictum, vel factum minus rectum præbens aliis occasionem ruinæ*. Scandalum enim dividitur in activum, & passivum. Sed hæc definitio non potest convenire scandalo passivo. Ergo non convertitur cum definito; & sic est incompetentis.

2. Præterea. Num. xxxi. super illud: *Ulciscere prius filios Israel &c.* dicitur (ex Origine hom. xxv.) quod scandalum est, cum recte ambulanti deceptio submittitur ad ruinam. Sed non omne dictum, vel factum minus rectum est deceptio. Ergo scandali definitio est incompetentis assignata.

3. Præterea. Sicut peccatum oris, & operis potest alteri præstare occasionem ruinæ; ita & peccatum cordis, præcipue quando per exteriora signa in notitiam aliorum prodit. Sed in diffinitione præmissa tangitur peccatum oris: & operis, non autem cordis. Ergo inconvenienter assignatur.

4. Præterea. Occasio significat causam per accidens. Sed etiam bona interdum per accidens sunt causa malorum. Ergo non solum dictum, vel factum minus rectum præbet alteri occasionem ruinæ, sed etiam si sit rectum, debet dici scandalum.

5. Præterea. Isai. viii. 14. dicitur de Christo: *Erit (1) in lapidem, & in petram scandali*. Sed in Christo non fuit aliquid minus rectum. Ergo non est de ratione scandali quod sit aliquid minus rectum.

SO-

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod scandalum nomen græcum est, & impactionem significat in latino: quæ quidem proprie dicitur in corporalibus, in spiritualibus autem transumptive. Unde oportet quod spirituale scandalum, de quo loquimur, sumatur ad similitudinem corporalis impactionis; quæ quidem non fit, nisi ambulanti aliquid in via obiciatur quod ei sit occasio cadendi, etiam si non cadat. Nihil autem ab alio factum, est natum casum facere ejus qui in via Dei ambulat, nisi sit aliquid minus rectum in notitiam ejus procedens vel verbo, vel facto: & ideo dictum, vel factum minus rectum est id ad quod spiritualiter fit impactio, & occasio datur alterius ruinæ, in quo ratio consistit scandali.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in corporali impactione est duo considerare, scilicet ipsam impactionem cadentis, aut ejus qui ad casum disponitur, & illud ad quod fit impactio, quod dicitur obex; ita & in spirituali: & utrumque nomen scandali accipit, sed non univoce: sicut etiam fides dicitur ipsa res credita, & actus credendi. Ipsa ergo spiritualis impactio, qua aliquis ad casum disponitur, dicitur scandalum passivum; sed obex spiritualis ad quem fit impactio, dicitur scandalum activum: & sic diffinitur hic scandalum, quia ex dicto, vel facto minus recto aliquis ad ruinam disponitur.

Ad secundum dicendum, quod tunc aliquis per se loquendo peccatum aliquod facit: quando ex intentione operatur, & non quando præter intentionem ejus peccatum accidit, sicut patet in homicidio casuali: & ideo tunc proprie aliquis scandalum facit quando ruinam proximi procurare intendit. Quicumque autem ad peccandum inducitur, decipitur: quia omnis malus ignorans, ut Philosophus dicit in III. Ethic. & ideo ubicumque est scandalum per se loquendo, dictum, vel factum minus rectum est deceptio quædam, submittitur ambulanti ad ruinam. Vel dicendum, quod dicitur esse deceptio, in quantum est deceptionis occasio, vel causa: quia omnis peccans decipitur, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod spiritualis obex, qui scandalum dicitur, oportet quod in via ambulanti obiciatur, quod fit dum in notitiam ejus venit. Peccatum autem cordis in notitiam alterius venire non potest, nisi per signa aliqua, quæ reducuntur ad peccatum oris, vel operis; & ideo in diffinitione scandali ponitur tantum dictum, vel factum minus rectum, & non fit merito de peccato cordis.

Ad quartum dicendum, quod occasio non semper nominat causam, sed quandoque causam per se insufficientem; & sic in diffinitione præmissa sumitur. Peccatum enim non potest habere ab exteriori aliquam causam sufficientem, eo quod voluntarium est; sed potest habere aliquam causam inducentem: quæ quidem causa quandoque per se nata est inclinare ad peccatum vel ex suo genere, vel ex intentione alicujus proponentis eam ad hoc quod aliquis inducatur ad peccatum; & tunc illud dicitur dare occasionem ruinæ: quandoque autem per accidens aliquis inclinatur ab aliquo in peccatum, quod de se non est natum inclinare in illud; sicut etiam in corporalibus aliquis in via plana impingit, & cadit; & tunc dicitur ipsemet sumere occasionem ruinæ, nulla sibi occasione ab exteriori data. Sed talis causa

ruinæ non potest scandalum nominari, quia causæ etsi quandoque nomina sortiantur ex per se effectibus: numquam tamen ab his quæ per accidens eveniunt, nominari consueverunt.

Ad quintum dicendum, quod Christus non dicitur esse petra scandali quasi per se scandali causa, quia ipse non dedit alicui occasionem scandali; sed dicitur esse in petram scandali, ita quod propositio non ordinem causæ, sed consecutionem importet, quia ex his quæ Christus fecit, consecutum est scandalum Judæorum.

ARTICULUS II.

Utrum scandalum sit peccatum semper.

Ubi supra art. 3. & 4.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod scandalum non sit peccatum semper. Nullum enim necessarium est peccatum. Sed necesse est ut veniant scandala, ut dicitur Matth. xviii. 7. Ergo scandalum non est peccatum.

2. Præterea. Umne peccatum est ex diaboli incentivo, non ex pietatis effectu. Sed Matth. xvi. ubi dicitur Petro: *Vade retro me satanas; scandalum mihi es*: dicit Glossa (Hieronymi:), Error Apostoli, tolli ex pietatis effectu venit potius quam ex incentivo diaboli. Ergo non omne scandalum est peccatum.

3. Præterea. Hieronymus dicit (& ex illo Glosæ super Matth. xviii.) *Parum distant in vitio scandalizare, & scandalizari*. Sed scandalum passivum, ut videtur, potest esse sine peccato, sicut & impactio corporalis quandoque est sine casu. Ergo & scandalum activum potest esse sine peccato.

Sed contra. Omne dictum, vel factum minus rectum est peccatum. Sed scandalum est huiusmodi. Ergo &c.

Præterea. Numer. xxxi. dicitur in Glossa (Origenis) *Longo gravius peccatum est dare peccati causam, quam peccare*. Sed quicumque scandalizat, dat causam peccandi. Ergo peccat.

QUESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod non sit speciale peccatum. Quia secundum Philosophum in V. Ethic. cap. x. vel xi. *omnis specialis injustificatio quandoque invenitur separata ab omnibus aliis injustificati onibus*. Sed scandalum non invenitur separatum ab aliis peccatis, quia semper est dictum, vel factum minus rectum. Ergo non est speciale peccatum.

2. Præterea. Secundum quodlibet genus peccati contingit aliquod dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ. Sed hæc est diffinitio scandali. Ergo scandalum non est aliquod speciale peccatum.

3. Præterea. Quicumque peccat coram alio, scandalizat. Sed coram alio peccare non addit supra peccatum simpliciter aliquam differentiam specificam, sed circumstantiam quandam, sicut nec occulte peccare. Ergo scandalum non est speciale peccatum.

4. Præterea. Agens proportionatur patienti. Sed scandalum passivum non est speciale peccatum: quia quocumque peccato aliquis tuat exemplo alterius, scandalum pari dicitur. Ergo nec scandalum activum est speciale peccatum.

Sed contra. Contingit peccare in se, in Deum, & in

in proximum. Sed scandalum est peccatum in proximum. Ergo est in speciali genere peccati.

Præterea. Malum dicitur aliquid quia nocet, secundum Augustinum, de moribus Manich. cap. III. Sed scandalum habet specialem rationem nocentem. Ergo est speciale peccatum.

QUÆSTIUNCULA III.

Uterius. Videtur quod scandalum semper sit mortale peccatum. Matth. XVIII. super illud, *Va mundo à scandalis*, dicit Gloss: „Imminer æterna damnatio inmundans propter scandalum.“ Sed æterna damnatio non debetur nisi propter peccatum mortale. Ergo scandalum semper est peccatum mortale.

2. Præterea. Vita spiritualis est dignior quam corporalis. Sed qui subtrahit alicui vitam corporalem, mortaliter peccat. Ergo & qui scandalizat, cum subtrahat spiritualem vitam, inducens alterum in ruinam.

Sed contra. Scandalum est dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ. Sed etiam peccatum veniale est huiusmodi quandoque. Ergo scandalum quandoque est peccatum veniale.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod duplex est scandalum, scilicet activum, & passivum, ut ex dictis patet. Passivum quidem scandalum semper peccatum est, quia ille scandalum patitur qui aut à via Dei ejicitur, aut saltem in via retardatur; quod non potest esse sine mortali, vel veniali peccato. Activum etiam scandalum semper est peccatum, quia scandalum activum semper est aliquid quantum est de se quod natum est inducere alterum ad peccandum; & tale semper aliquam inordinationem habet vel ex genere actus, vel saltem ex circumstantiis personæ, loci, & temporis, & ideo semper est peccatum. Sed quandoque scandalum activum potest esse sine peccato alicujus scandalum patientis, quando scilicet aliquis, quantum est de se, dat occasionem ruinæ, sed alius non ruit; quandoque etiam è converso est scandalum passivum sine peccato alicujus facientis scandalum, ut quando aliquis sibi sumit occasionem ruinæ ex eo quod ab altero non inordinate fit.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est necessitas. Una absoluta; sive aliquid sit necessarium per se ipsum, sicut necessarium est Deum esse; sive ex coactione alicujus causæ exterioris, sicut violentum dicitur necessarium: & sic non est necessarium scandala evenire necessitate conditionata ex tribus. Primo ex ipsa præsentia, & prædestinatione divina, sicut dicimus: Necessitas est hoc esse, si Deus prævidit: & talis necessitas non repugnat libertatis arbitrio: unde super hunc locum dicit Chrysostomus, homil. LX. in Matth. *Cum dicitur, Necessitas, non spontaneum potestatis destruit, neque libertatem electionis. Non igitur prædictio ejus scandala inducit, neque quia prædixit, hoc fit; sed quia futurum erat, propter hoc prædixit.* Secundo ex inclinatione fœditatis, sicut etiam dicimus quod necesse est peccare venialiter, quamvis sit possibile singula venialia peccata vitare. Tertio ex utilitate consequente, quam Deus ex scandalis elicit,

(1) Al. scandalizat.

sicut omnia utilia dicuntur necessaria.

Ad secundum dicendum, quod secundum illam Glossam videtur quod Petrus non peccaverit, volens passionem Christi impediri: quia passio Christi poterat & placere laudabiliter, & displicere secundum diversa: & tunc scandalum sumitur large pro quolibet impedimento alicui præstito in via aliqua quam prosequi intendit.

Ad tertium dicendum, quod, per se loquendo, scandalum activum est majus peccatum quam passivum; quia in unoquoque genere causa est potior effectu; tamen aliquando potest esse majus passivum quam activum; quando aliquis majoris ruinæ occasionem sumit quam sibi detur; sicut etiam quandoque est passivum peccatum sine peccato agentis. Quod autem Hieronymus dicit, intelligendum est quantum ad genus peccati, & non quantum ad quantitatem reatus: & tamen alia propositio falsa est scilicet quod scandalum passivum non sit peccatum: quia ipsa impactio spiritualis quoddam peccatum est, in quantum est quedam retardatio à via Dei: & quamvis dicatur passivum scandalum, non tamen est omnino passio, sed quedam actio. Quia enim non potest sufficiens peccandi causa ab exteriori præberi alicui, quasi cogens ipsum ad peccandum, ille qui (1) scandalizatur, cooperatur agenti, & ideo peccat.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod actus aliquis determinatur ad speciem moris dupliciter. Uno modo ex parte objecti, sicut fornicatio ex hoc quod est circa delectabilia tactus; & hæc determinatio est materialis, & respicit habitum elicentem actum. Alio modo ex parte finis; & hæc est formalis specificatio, & respicit habitum imperantem. Contingit autem quandoque quod ad eandem speciem determinatur actus ex utraque parte, sicut quando aliquis actus ab eodem habitu elicitur, & imperatur, ut cum quis fornicatur propter delectationem. Quandoque autem ex utraque parte determinatur, sed ad diversas species, ut quando actus ab uno habitu elicitur, & ab alio imperatur, sicut cum quis fornicatur propter lucrum: determinatur enim ad speciem luxuriæ ex objecto, sed ad speciem avaritiæ ex fine; non tamen sunt ibi duo peccata, sed unum peccatum duplex, cum sit unus actus. Quandoque etiam evenit quod aliquis actus non determinatur ad aliquam certam speciem ex parte objecti, sed ex parte finis, eo quod habet determinatum habitum à quo imperatur, sed non à quo elicitur, sicut edificare proximum; quem actum charitas non elicit, quia ejus non est elicere nisi interiores actus, per quos non fit edificatio, sed imperat eum, & ab aliis virtutibus elicitur materialiter, non determinate ab aliqua, sed ab omnibus quia charitas omnibus imperare potest. Et quia scandalum activum est peccatum oppositum ædificationi proximorum, ideo materialiter loquendo ex parte materiæ, & habituum elicentium non est speciale peccatum, sed solum loquendo formaliter ex parte finis, & habitus imperantis, qui est habitus charitati oppositus, scilicet vitium odii: & ideo quando aliquis dictum, vel factum minus rectum facit intendens occasionem ruinæ proximo præstare, speciale peccatum scandalizando committit. Si autem præter intentionem suam accidat, non erit scandalum activum speciale peccatum; tamen erit circumstantia quedam peccati, eo quod sicut quilibet actus virtutis habet ordinem ad finem

nem charitatis, etiamsi actus non ordinetur in finem illum, & sicut habet aptitudinem ut imperetur à charitate; ita quodlibet peccatum, quantum est de se, habet ordinem ad contrarium finem, etiamsi ille finis non intendatur ab agente.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum scandalum activum invenitur quandoque separatum ab omni alia specie peccati, quod consistit in actu exteriori, ut quando actus exterior de se non esset peccatum, nisi in quantum per quamdam similitudinem peccati quam habet, natum est dare occasionem ruinæ in manifesto factum, sicut comedere idolothyrum, & ideo etiam in diffinitione scandalum non dicitur: *Dicitur, vel factum perversum, sed minus rectum*: & sic patet quod objectio procedit ex falsis.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit ex parte elicentium habituum, & non ex parte habituum imperantis.

Ad tertium dicendum, quod hæc circumstantia coram alio non addit peccato ex sui ratione novam speciem, sed ex fine ad quem per talem circumstantiam ordinabilis est: unde etiam peccare in occulto non trahit peccatum ad aliam speciem, quia per hoc non recipit ordinem in alium finem.

Ad quartum dicendum, quod ille qui scandalizatur, & agit, & patitur: actio autem sua non pertinet ad genus scandalum, sed ad aliud quodcumque; sola autem passio sua pertinet ad genus scandalum. Et quia nullus peccat secundum quod patitur, sed solum secundum quod agit; ideo scandalum passivum non ponitur speciale peccatum sicut scandalum activum, quod ex ipsa actione ad genus scandalum pertinet.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum quod, duplex est scandalum, ut dictum est, scilicet activum, & passivum; & utrumque est quandoque veniale, quandoque mortale peccatum. Passivum quidem mortale peccatum est, quando aliquis ex peccato alterius in peccatum mortale ruit, sive factum agentis sit bonum, sive indifferens, sive malum mortalis, aut venialis peccati; sed veniale peccatum est quando aliquis ex facto alterius quomodocumque non ruit, sed disponitur ad ruinam, sicut qui impingit, disponitur ad casum, etiam si non cadat: unde Glossa (interlinealis) Rom. XIV. scandalum contristationis nominat. Sed activum scandalum potest accipi dupliciter. Uno modo formaliter, quando scilicet est speciale peccatum, ex hoc quod intendit alium scandalizare; & sic si intendat proximum inducere in peccatum mortale, mortaliter peccat; si autem intendat inducere ad aliquod veniale, peccat venialiter, quantum pertinet ad rationem scandalum: quia si intenderet ducere in peccatum veniale per actum mortalis peccati, peccaret mortaliter; sed hoc accideret scandalo. Alio modo materialiter, quando est circumstantia peccati, quia non intenditur proximi nocentum; & tunc idem iudicium est de scandalo, & de actu quo aliquis scandalizat, qui quandoque est veniale, quandoque mortale peccatum; nisi forte esset veniale, aut indifferens habens similitudinem mortalis peccati: tunc enim scandalum activum esset peccatum mortale, cum ex aliquibus circumstantiis concurrentibus (2) existimari probabiliter posset quod infirmi aspicientes peccarent mortaliter.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus loquitur

(2) Al. additur ex quibus.

de scandalo activo, quod est peccatum mortale.

Ad secundum dicendum, quod ille qui scandalizat, non aufert semper vitam spiritualem: quia quandoque factum ejus non est natum inducere in peccatum mortale, etsi aliquis etiam ex hoc per culpam suam in peccatum mortale ruat. Et præterea qui aufert vitam corporalem, dat sufficientem causam naturalis mortis; sed qui scandalizat, non dat sufficientem causam mortis spiritualis, ut dictum est.

ARTICULUS III.

Utrum scandalum passivum sit tantum pusillorum.

Ubi supra art. 5.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod scandalum passivum non sit tantum pusillorum. Christus enim pusillus non fuit, sed perfectissimus. Sed Christus passus fuit scandalum à Petro, cui dixit: *Scandalum mihi es*: Matth. XVI. 23. Ergo &c.

2. Præterea. Nullus potest amare, nisi aliquis ametur. Ergo nullus potest scandalizare, nisi aliquis scandalizetur. Sed ille qui coram perfectis viris peccat, scandalizat non alios quam videntes. Ergo perfecti scandalizantur; & sic non solum pusilli.

3. Præterea. Etiam perfecti interdum venialiter peccant. Sed quandoque veniale peccatum est scandalum. Ergo etiam perfecti scandalizantur.

Sed contra est quod Dominus Matth. XVIII. ubi loquitur de scandalo, non facit mentionem nisi de scandalo pusillorum. Ergo ipsi soli scandalizantur.

Præterea. Apostolus dicit de scandalizatis, quod conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur, I. Corinth. VIII. Sed perfecti non habent conscientiam infirmam. Ergo &c.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod etiam perfectis competit scandalum activum. Christus enim perfectissimus fuit. Sed ipse scandalizavit: quia positus est in ruinam multorum, ut dicitur Luca 11. & Pharisæi audito verbo ejus scandalizati sunt, ut dicitur Matth. XX. Ergo scandalum activum competit perfectis.

2. Præterea. Petrus postquam fuit Spiritu Sancto confirmatus, perfectus fuit. Sed ipse scandalizavit: quia facto suo cogebat gentes judaizare. Ergo &c.

Sed contra. Non enim ejusdem est provocare exemplis ad bonum, & scandalizare. Sed primum est perfectorum, ut patet Matth. V. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Ergo non est eorum scandalizare.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod soli perfecti possunt scandalizare. Quia contraria contrariis respondere debent. Sed scandalum passivum dividitur contra activum. Cum ergo solis pusillis conveniat scandalum passivum, solis perfectis convenire poterit activum.

Præterea. Ille solum scandalizat qui exemplo suo provocat ad peccandum. Sed hoc est illorum tantum quorum vita in exemplum aliorum est posita, scilicet prælatorum, & religiosorum. Ergo ipsorum tantum est scandalum activum.

Sed

(1) Al. conve-